



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

8. Eros & Anteros contrarii Cupidines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Stulta plebs arcu putat & sagittis
 Grandibus uti.
 Ille (sic monstrat Cytherea mater)
 Non boum tendit sinuare cornu :
 Sed manus junctas utriusque amantis
 Curuat in Arcum.

De hoc puero Seneca in Hippolyto.

Iste lascivus puer ac renidens
 Tela quàm certo jaculatur arcu !
 Labitur totas furor in medullas,
 Igne furtivo populante venas.
 Non habet laetam data plaga frontem,
 Sed vorat tectas penitus medullas.
 Nulla pax isti puero, per Orbem
 Spargit effusas agilis sagittas.

Alius de hoc parvulo. Ignibus suis inflammat frigidissimos: laetitiam gratiarum ferreos emollit: humanitate frangit barbaros: mitigat urbanitate agrestes: suavitate feros domat. Amorum potius, quàm armorum bella gerit: grassatur illecebris, non insidiis: tela non inficit veneno, sed ambrosiam: vulnerat rosis, non spinis: sagittas, quas ad cor adigit, ab arcu oculorum emittit. Ejus spicula sunt oscula: adoritur mortalium pectora deliciis, non tormentis; gratiam, non terroribus; non laqueis, sed lenociniis; voluptate, non clade; leporibus, non machinis; veneribus, non vulneribus: faces injicit, ut amorem accendat: hostem, quem vincit, non in fugam, sed in amplexum convertit.

VIII. (h) Cæterùm Poëtæ fingunt alterum, meliore fato natum, *Cupidinem*, quem *Anterorem* vocant, id est, pugnantem & contrarium *Erosi* seu *Cupidini Voluptario*. Hinc apud Alciatum emblem. 110. Cupidine ad arborem ligato, Anteros ejus tela & arcum comburit: quo significatur, ab Amore cœlesti, terrestrem vinci. Huc facit, quod monet aureæ linguæ Orator hom. 24. ad Corinth. 2. Quomodo, inquit, pravi Cupidinis ignem extinguas, si igni quotidie alimenta adjicias? Subtrahe ligna foco. Et quid illud est, quod amas? Pituita & sanguis, ac corrupti alimenti succus. At lætus & splendidus flos est, inquit. Esto sanè: sed terræ etiam floribus nihil lætius ac jucundius est; qui tamen marcescunt, & in putredinem abeunt. Altius te mens erige, & quid sub colorata cute lateat, explora. Hydropicum etiam corpus ni-

Yyy

tet,

(h) Eros & Anteros, contrarii Cupidines.

ret, & nihil fœdi in superficie habet: quis tamen aquoso humori osculum impertit? at tener & versatilis est oculus, rectè porrectum supercilium, nigra palpebræ, suavis pupilla, serenus aspectus. At hoc ipsum, quid aliud est, quàm nervi, venæ, arteriæ? Quin tu hunc quoque blandientem oculum, ægrum, senio affectum, mœrore afflictum, irâ tumens cogita: in quam deformitatem hæc pictura evanescet? Jam ad animi pulchritudinem, cogitationem traducas, & te hujusmodi formæ elegantia oblecta. Hæc nunquam mærescit, nunquam deflorescit, nulla poenitudine turbatur, nullis suppliciis expiatur. Ad hanc enitere: hanc ama & amplexare. Hæc & plura, quæ brevitatis causâ omitto, Præsul Constantinopolitanus, quibus modum ostendit, meliore Cupidine peccus imbuendi. Exclamat hîc non sine suspirio Philosophicus Poëta Boëtius.

O felix hominum genus,
Si vestros animos Amor,
Quo cœlum regitur, regat!

SYMBOLVM LXXXIX.

Minerva, seu Pallas, sapientiæ & amorum Dea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Pallas cur ex Jovis cerebro nata? 2. Ejus habitus & attes. 3. Ejus liber & hasta. 4. Ejus gallus gallinaceus. 5. Ejusdem noctua. 6. Cur feroci vulcu? 7. Ejusdem ægis, seu clypeus. 8. Cur ei sacrata olea? 9. Cur Virgo?

Sapientiæ & bonarum omnium artium hæc præses est, ac dea, ex Jovis nata cerebro, sine Matre procreata. Ferunt enim, Jovem, cum Junonem sterilem videret, ne prorsus sine prole esset, cerebrum suum percussisse, indeque Minervam prosiliisse. Poëta tradunt, cum Juppiter hanc filiam parturiret, ei Lucinæ loco adstitisse Vulcanum, & acutissimâ ac prævalidâ securi caput in duas partes divisisse, indeque armatam Virginem erupisse.

Ethica.